



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 75. Variæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. deduci sedulo curaret. Pontifex
A.C 1566. hanc reformationem in suo Pala-
 tio inchoasse haud contentus insuper
 Cardinales monuit, ut restricto famulo-
 rum numero ab omni fastu abhorre-
 rent, vitamque sobriam, ac frugalem
 ducerent: ideo abrogabat etiam con-
 suetudinem tubis insonandi, quoties Pa-
 pa, & Cardinales sacrum Senatum in-
 grederentur: ad hæc suos consangui-
 neos Roma excedere iussit, exceptis
 duobus suis Nepotibus, quorum unus
 in Collegio Germanico studiis vacabat,
 alter vero penes ipsum erat ad Cardi-
 nalatum promovendus: præterea per-
 mittebat, ut Cardinales, qui æs alie-
 num solvere renuerent, ad id sicut ce-
 teri legum severitate compellerentur,
 proscriptis etiam eorum bonis, ac sup-
 plectili.

§. LXXV.

*Varie ejusdem Pontificis Constitu-
tiones.*

Denique innovabat legem, qua Inno-
 centius III. Medicis præcepit, ut
 ægrotos post diem tertium non invi-
 ferent, nisi hi Christiano more conscien-
 tiam expiassent: præterea quibuscun-
 que Presbyteris, tam græcis, præcipue
 conjugatis, quam latinis prohibuit, ne
 ritu alieno sacra vel alia Officia divina
 per-

peragerent, sed latinus Ecclesiæ latinæ ritibus, græcus vero græcis ceremoniis uteretur.

Id tamen nonnisi de Missis solemnioribus intelligendum censemus. Idem quoque Pontifex pro imbuenda juventute Catechismum latino, Gallico, Germanico, & Polonico idiomate edit, simulque typis imprimi jussit Brevariaria, & Missalia ingenti solertia, & sumptibus correcta: prohibuit pariter Taurorum spectacula tanquam Christianæ pietati aliena: disciplinam vero monasticam, cujus in multis monasteriis vix ullum vestigium supererat, restaurare toto studio nitebatur, ac Monachos apostatas, & vagabundos anathemate plectebat, Ordinum Generalibus injungens, ut fedulo in dyscolos inquirerent, eosque, si possent, ad salutis semitam reducerent: ablegabat insuper per universam Italiam quosdam Visitatores, qui indagarent, an Episcopatus, Collegia, & Monasteria rite administrarentur, ac desuper hi id Papæ referre jubebantur, quamvis enim Papa ætate multum profectus esset, nihilominus ipsemet omnia, quæ bonum regimen, & disciplinæ restaurationem concernebant, percipere, videre, ac cognoscere voluit.

Sæcul. XVI
A.C. 1566.

Pii V. Const.
3. Bull. rec.
edit. Const. 12
Ciacon. l. c.
Part. 2. Bull.
3. Mart.
1566.